

# TOTIVS PHOENOMENI CATAS- TASIS ASTRONOMICA.



**N**OVVS hic phosphorus, (liceat verò sic propter apparentem similitudinem appellare) cœpît fulgere primū anno hoc à Christo nato 1572. nona Nouembris, die domini co vesperi, cū tamen obseruantibus proximum cœli locum die octauo, etiam sereno æthere non apparuerit. Eodem fere tempore accessit luna ad punctum signiferi, in quo deliquium passa est Iunio præcedente. stabat enim in 13. capric. vbi & Mars nunc circa horam 7. copulatur cum cap. drac. exactè, & Mars in 15. capr. Erat sub huius exordia Iupiter retrogr. stationarius in epicyclo (quod ad influxus potentiam ac diuturnitatē plurimum facit) in 21. Arietis non procul à cornibus eiusdem & triangulo, subsequente copula Iouis, Martis, Veneris, Lunæ, & cap. draconis. Illud insuper obserues moneo, quòd Venus in Libra, Mars in capr. cum Luna exactissimè omnes 4. in signis aut tropicis, aut æquinoct. Sol quoque à coniunct. Saturni defluens paulatim ad trigonum Iouis & limites Galaxiæ cum stellis in corde scorpîi nat. Saturni & Martis.

Sed locus apparentis stellæ statim ab initio inter Cephæi sidus & Cassiopeæ latit. 52. gr. 40. minut. longit. 6. gr. 30. min. tauri exactè consistit, vbi sese decussatim intersectant limbus borealior galaxiæ, & colurus æquinoctij verni. Est autem hæc via lactea ceu cœli caminus quispiam, atque exhalationū perpetuus fomes, de quo physici plura, & ad huc sub iudice lis est.

Porro cū tribus insignioribus stellis Cassiopeæ in lūbis vna, altera in pectore, tertia in cathedra constituit rhombū elegantissimum laterū prope æqualium, sic vt ex angulis 4. ductæ lineæ κατὰ χάσμον crucis imaginem